



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793



P R A E F A T I O.

Quoniam neminem fore arbitror, qui vel debilitate intellectus
 praeeditus, vel temeritatis furore praecipitatus affirmando sim-
 pliciter montibus insinuare; isque ut sua plausibili, nihilomi-
 nus erronea, & omni studio ab hominum consortio procul rele-
 ganda opinioni calculum addant, multis variisque verborum
 pigmentis persuadere audeat, quod qui ab initio iura, Politico ad
 bene tranquilleque viuendum, & ad conseruandam hominum
 societatem inter ipsos admodum necessaria constituerunt, aut etiam nouum pro com-
 muni publica vnionis, & concordia bono statuunt, & promulgant, dum alia sub-
 inde alijs vel abrogando, vel in nouando, vel interpretando substituunt, incon-
 stantia laborasse, & multitudine ac superfluitate legum subditos onerasse: at-
 tamen si quispiam eiusmodi praconcepto errore imbutus reperiatur, maxime cum a
 plerisque absurda, atque paradoxa multo facilius arripiantur, ac approbentur,
 quam feliciter negligantur, & extirpentur, huic nunc temporis neque melius re-
 sponsum dare, neque salubrius consilium ad se corrigendum, & ab illo erroris la-
 queo liberandum communicare ualeamus, quam quod Summus Pontifex in cap.
 Non debet. De consanguinitate, & affinitate, subministrat, dum inquit. Non debet
 reprehensibile iudicari si secundum uarietatem temporum statuta quandoque va-
 rientur humana, praesertim cum uigens necessitas, aut euidentis utilitas id exposcit,
 quoniam ipse **DEVS** ex his, quae in veteri testamento statuerat, nonnulla muta-
 uit in nouo. Egregia certe vox, & a quolibet, ne de Sacrarum legum conditoribus,
 & ceteris Superioribus tam Ecclesiasticis quam Secularibus Potestatibus, quibus
 a **DEO OPTIMO MAXIMO** libera facultas ius dicendi, & exercitium
 iudicandi propter bonorum defensionem, & malorum coercionem concessa fuit,
 male sentire, aut perperam loqui audeat, ambabus vlnis amplectenda, memoria
 insigenda, & perpetuo mente recolenda. Ex eo enim satis superque apparet, qua de
 causa, quibusue rationibus moti fuerint quandoque legumilatores, ut quae prius co-
 stituta non sine maturo consilio ab ipsis sint, tam ampliando, quam restringendo
 in meliorem concordantiam reformauerint. Nam cum humani casus non semper
 vno eodemque contingere modo soleant, sed instar lunae modo in excessum, vel de-
 fectum declinent, aliter fieri non potuit, ut emergente aliqua facti contingentia,
 quae in promulgata lege non comprehenderetur, neque per extensionem congrua
 ac rationabilem per illam decidi poterat, quin noua lege inuenta, sancitaque reme-
 dium nouo casui, maloque exorto adhiberetur, ad quod aggrediendum illos sum-
 ma quadam necessitate compulso fuisse nemo sanae mentis inficias ibit. Quo facto
 cum posteriores leges prioribus derogauerint, illae his omne robur, vim, ac potesta-

A tem.

rem, quam in omnes, qui parere tenebantur sub comminatione violationis exercebāt, ademerunt, atque hoc pacto in defuetudinem abierunt. Quibus non paruum adminiculi adiungebatur a circumstantiarum variatione, quarum intuitu qualibet res de more Prothei singulis momentis varias & recentes assumit formas, ipsaeque se abscondit. Cum enim humanorum negotiorum atque actorum capita ex causis, atque ex personis, nec nō loco, & tēpore dependeat, & cōsiderāda sūt, quorū modi si medullitus non indagentur, in erroris labyrinthū quandoque grauiter impingitur, siquidem illis non perperis ante iudicetur, quam intelligatur, & semper regula Sanctorum Patrum pro tempore, loco, persona, & negotii qualitate tradita fuerint, his de causis summo opere necessarium fuit nouarum sanctionum promulgatio, ne ad instar imperiti Medici vno collyrio omnes oculi curarētur, & alicui suum ius hoc pacto interuerteretur, cum lex, quae alias honesta, iusta, secundum naturam, & tempori, loco que conueniens esse diffinitur, ab huiusmodi effectuum productione & attributione sui cuique penitus se iungeretur, & ceteris per iniuriā sub quouis aequi bonique praetextu res alienas auferendi fenestra aperiretur. Vilitas vero non minorem potentiam obtinet ad quaedam de nouo per legitimas Sanctiones introducenda, & iuxta illarum tenorem diiudicanda, cum duobus, quae expediunt, concurrentibus, semper id, quod magis expedit, eligendum sit, consequens manifestum euadit, quod in eiusmodi comparatione, & electione semper variatio, ac vicissitudo quaedam emergat, propter quam secus fieri non potuit, nisi vt huius respectu a prioribus legibus quandoque discessus minime reprehendendus moueretur. Quod quidem non solum in Saecularium Potestatum puta Summorum Imperatorum ac Principum Constitutionibus locum inuenit, verum etiam Summi Pontifices praeter ceteris totis viribus omnibusque vigilijs in id incubuerunt, vt secundum possibilitatem, & inuicti muneris praecellentem auctoritatem diuerso tempore multiplices, & distinctas Bullas in lucem emitterent, quibus Religiosi & Religiose in debito officij statu continerentur, & improuisi errores ratione honestatis, & religionis Zelo emendarentur. Quapropter ego Stephanus Quaranta Ecclesiae Neapolitanae seruis in uelis uisis omnibus fere Constitutionibus Apostolicis hucusque post Iuris Canonici Decreta, Epistolas Decretales, Sextum librum Decretalium, Epistolas Clementinas, cum Extrauagantibus Summorum Pontificum promulgatis, collegi illas, & iuxta ordinem titulorum in Iuris Canonici Voluminibus obseruatum disposui, additis ad quemlibet titulum non contemnendis Adnotationibus, & Commentarijs ex optimis quibusque Auctoribus depromptis, quibus, totā illorum materiam illustrari, & vberius declarati existimabam. Quam meam operam cum quam plurimis minime displicere perspexeram, & in super accidente instantissima requisitione Reverendissimorum Dominorum Sacerdotum, vt Bullas quae subsequētib; annis promulgatae fuissent, prioribus adderem, & hoc pacto absoluissimum opus perficerem, non potui neque uolui honestissima huic petitioni resistere, verum potius libentissimo animo illi locum reliqui. Illas igitur diligenter reuistas, & ubi opus fuerat summa cura emendatas Tibi Lector studioissime etiā atque etiam commendo, atque defero, firma ac indubitata spe fretus, idem euenturum, quod Iustinianus Imperator de suis Institutionum Iuris Ciuilib; Tyronibus sibi pollicetur, Te quoque, si in illis non vulgates progressus feceris, & legendo relegendoque fideliter menti memoriaeque infixeris, spes pulcherrima fouebit, posse Ecclesiasticam rempublicā, quae saeculari tanto praestantior est quanto sol reliquis stellis lucidior apparet, in partibus eius tibi credendis, ad Dei gloriam, & proximi salutem prosperissime gubernari.